



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuissimè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1646

De intentione Officij diuini. III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40233

De intentione Officij diuini.

TIT. III.

1 **S**ufficit intentio implicita orandi Deum, *Nauar. cap. 13. num. 15.* & habetur in sola Breuiarij acceptance, vt recitetur Officium.

2 Qui recitat principaliter ob lucrum distributionum, seu fructuum, siue sit intentio actualis siue virtualis, peccat, *Nauar. de Orat. c. 6. num. 15.*

3 Ille itē Religiosus peccat, qui principaliter recitat ob timorem pœnarum à Superiore irrogandarum, vel alios fines minùs bonos, *Nauar. ibid. nu. 19.*

De attentione Officij diuini.

TIT. IV.

1 **Q**ui non attendit ad verba, vel ad sensum verborum, vel ad finem in oratione propositum, peccat; & duæ primæ attentiones singillatim sufficiunt, *S. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 13.* neque meliorem tenetur quærere, ait *Suar. tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 4. num. 9.*

2 Qui recitat sine attentione actuali, vel virtuali, peccat mortaliter; nec habitualis sufficit, quæ absque vllō voluntatis actu non rarò contingit, *Azor. cap. 12. quæst. 1.*

3 Qui voluntariè distractus, alia faciens quæ attentionem impediunt, scribendo, pingendo, & similia faciendo, peccat, *Azor. quæst. 3. ex cap. Dolentes.* vbi præcipitur attentio interior & exterior, non tamen tenetur repetere; quia, licet malè, soluit tamen debitum, *Cordub. in suis Quæst. lib. 4. q. 13. ad fin.* putat *Azor. oppositum esse verius quæst. 6.* & addit *Nauar. cap. 20. num. 32.* teneri, ac si non recitasset, ad restitutionem fructuum. quod nobis magis placet.

4 Qui recitat dum vestes induit, exiit, faciem lauat, &c. peccat venialiter, *Nauar. num. 32.*

5 Qui attentè quidem recitat, sed in animo habet non satisfacere præcepto, tenetur repetere, *Nauar. cap. 16. num. 74.*

6 Qui tantum legit preces Horarias, & non orat, minimè satisfacit, *Nauar. cap. 13. num. 15.*

7 Qui recitat Officium, & simul audit Missam, satisfacit; peccat tamen venialiter, *ex Caset. in Opusc. Tom. 2. tract. 4. Negat Nauar. cap. 16. num. 71.* si iusta sit causa. At concordant omnes, nullum esse peccatum, si recitat quando Sacerdos Missæ secreta dicit.

8 Qui recitat cum alijs, satis est, si attentè audiat verba plurium, non singulorum, ac si ab vno tantum dicerentur, *Azor. cap. 7. quæst. 7.*

De prolatione Officij diuini.

TIT. V.

1 **Q**ui recitat solus, satis est, si verba ita proferat, vt seipsum percipiat, & intelligat; neque sufficit, si in gutture tantum pronuntiet, sed linguam & labia verè moueat, *Nauar. cap. 20. num. 14.*

2 Qui verba diminuit & detruncat, syncopat & transcurrit (nisi vitio linguæ, vel consuetudine quadam quasi ingenita fiat) peccat saltem venialiter; nec tenetur repetere. *Azor. cap. 7. quæst. 11.* & putat verius, & probat fusiùs.

3 Qui recitat cum socio satisfacit, siue ille sit obligatus ad Officium, siue non; & satis est, si attendat ad Antiphonas, Capitula, & Orationes, quæ socius solus dicit, *Nauar. cap. 10. num. 16.* idem dic de Lectionibus, *Azor. cap. 7. quæst.*